

Est A-9999

EXCERPTA IURIS ROMANI

ROOMA ÕIGUSE TEKSTID

TEKSTID VALINUD
LEO LEESMENT



RK „TEADUSLIK KIRJANDUS“

Est A-9999

EXCERPTA IURIS ROMANI

ROOMA ÕIGUSE TEKSTID

TEKSTID VALINUD
LEO LEESMENT



RK „TEADUSLIK KIRJANDUS“
TARTU, 1946

Käesolev valimik tekste on mõeldud õigusteaduskonna üliõpilastele, kes õppekava kohaselt peavad riigi ja õiguse ajaloo ning ladina keele õppimisel tutvuma ka rooma õiguse tekstidega.

EXCERPTA IURIS ROMANI

TARTU ÜLIKOOLI

RAAMATUKOGU

17752978

GAI INSTITUTIONES.

EXCERPTA.

Commentarius primus.

I De iure civili et naturali. 1 Omnes populi, qui legibus et moribus reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utuntur: nam quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium est vocaturque ius civile, quasi ius proprium civitatis; quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes populos peraeque custoditur vocaturque ius gentium, quasi quo iure omnes gentes utuntur. populus itaque Romanus partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure utitur. quae singula qualia sint, suis locis proponemus.

2 Constant autem iura populi Romani ex legibus, plebiscitis, senatusconsultis, constitutionibus principum, edictis eorum, qui ius edicendi habent, responsis prudentium.

3 Lex est, quod populus iubet atque constituit. plebiscitum est, quod plebs iubet atque constituit. plebs autem a populo eo distat, quod populi appellatione universi cives significantur, connumeratis et patriciis; plebis autem appellatione sine patriciis ceteri cives significantur; unde olim patricii dicebant plebiscitis se non teneri, quae sine auctoritate eorum facta essent; sed postea lex Hortensia lata est, qua cautum est, ut plebiscita universum populum tenerent: itaque eo modo legibus exaequata sunt.

4 Senatus consultum est, quod senatus iubet atque constituit; idque legis vicem optinet, quamvis fuerit quaesitum. 5 Constitutio principis est, quod imperator decreto

vel edicto vel epistula constituit. nec umquam dubitatum est, quin id legis vicem optineat, cum ipse imperator per legem imperium accipiat. 6 Ius autem edicendi habent magistratus populi Romani. sed amplissimum ius est in edictis duorum praetorum, urbani et peregrini, quorum in provinciis iurisdictionem praesides earum habent; item in edictis aedilium curulium, quorum iurisdictionem in provinciis populi Romani quaestores habent; nam in provincias Caesaris omnino quaestores non mittuntur, et ob id hoc edictum in his provinciis non proponitur. 7 Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum est iura condere. quorum omnium si in unum sententiae concurrunt, id, quod ita sentiunt, legis vicem optinet; si vero dissentiunt, iudici licet quam velit sententiam sequi; idque rescripto divi Hadriani significatur.

II De iuris divisione. 8 Omne autem ius, quo utimur, vel ad personas pertinet vel ad res vel ad actiones. sed prius videamus de personis.

III De conditione hominum. 9 Et quidem summa divisio de iure personarum haec est, quod omnes homines aut liberi sunt aut servi. 10 Rursus liberorum hominum alii ingenui sunt, alii libertini. 11 Ingenui sunt, qui liberi nati sunt; libertini, qui ex iusta servitute manumissi sunt. 12 Rursus libertinorum tria sunt genera: nam aut cives Romani aut Latini aut dediticiorum numero sunt. de quibus singulis dispiciamus; ac prius de dediticiis.

48 Sequitur de iure personarum alia divisio. nam quaedam personae sui iuris sunt, quaedam alieno iuri sunt subiectae. 49 Rursus earum personarum, quae alieno iuri subiectae sunt, aliae in potestate, aliae in manu, aliae in mancipio sunt. 50 Videamus nunc de iis, quae alieno iuri subiectae sint: nam si cognoverimus, quae istae personae sint, simul intellegemus, quae sui iuris sint. 51 Ac prius dispiciamus de iis, qui in aliena potestate sunt.

52 In potestate itaque sunt servi dominorum. quae quidem potestas iuris gentium est: nam apud omnes peraeque

gentes animadvertere possumus dominis in servos vitae necisque potestatem esse, et quodcumque per servum acquiritur, id domino acquiritur. 53 Sed hoc tempore neque civibus Romanis nec ullis aliis hominibus, qui sub imperio populi Romani sunt, licet supra modum et sine causa in servos suos saevire: nam ex constitutione sacratissimi imperatoris Antonini, qui sine causa servum suum occiderit, non minus teneri iubetur, quam qui alienum servum occiderit. sed et maior quoque asperitas dominorum per eiusdem principis constitutionem coërcetur: nam consultus a quibusdam praesidibus provinciarum de his servis, qui ad fana deorum vel ad statuas principum confugiunt, praecepit, ut si intolerabilis videatur dominorum saevitia, cogantur servos suos vendere. et utrumque recte fit: male enim nostro iure uti non debemus; qua ratione et prodigis interdicatur bonorum suorum administratio.

55 Item in potestate nostra sunt liberi nostri, quos iustis nuptiis procreavimus. quod ius proprium civium Romanorum est (fere enim nulli alii sunt homines, qui talem in filios suos habent potestatem, qualem nos habemus) idque divi Hadriani edicto, quod proposuit de his, qui sibi liberisque suis ab eo civitatem Romanam petebant, significatur. nec me praeterit Galatarum gentem credere in potestate parentum liberos esse.

97 Non solum tamen naturales liberi secundum ea, quae diximus, in potestate nostra sunt, verum et hi, quos adoptamus. 98 Adoptio autem duobus modis fit, aut populi auctoritate aut imperio magistratus velut praetoris. 99 Populi auctoritate adoptamus eos, qui sui iuris sunt: quae species adoptionis dicitur adrogatio, quia et is, qui adoptat, rogatur, id est interrogatur, an velit eum, quem adoptaturus sit, iustum sibi filium esse; et is, qui adoptatur, rogatur, an id fieri patiatur; et populus rogatur, an id fieri iubeat. imperio magistratus adoptamus eos, qui in potestate parentum sunt, sive primum gradum liberorum optineant, qualis est filius et filia, sive inferiorem, qualis est nepos neptis, pronepos proneptis. 100 Et quidem illa

adoptio, quae per populum fit, nusquam nisi Romae fit; at haec etiam in provinciis apud praesides earum fieri solet. **101** Item per populum feminae non adoptantur, nam id magis placuit; apud praetorem vero vel in provinciis apud proconsulem legatumve etiam feminae solent adoptari. **102** Item inpuerem apud populum adoptari aliquando prohibitum est, aliquando permissum est: nunc ex epistula optimi imperatoris Antonini, quam scripsit pontificibus, si iusta causa adoptionis esse videbitur, cum quibusdam condicionibus permissum est. apud praetorem vero et in provinciis apud proconsulem legatumve cuiuscumque aetatis adoptare possumus. **103** Illud utriusque adoptionis commune est, quod et hi, qui generare non possunt, quales sunt spadones, adoptare possunt. **104** Feminae vero nullo modo adoptare possunt, quia ne quidem naturales liberos in potestate habent. **105** Item si quis per populum sive apud praetorem vel apud praesidem provinciae adoptaverit, potest eundem alii in adoptionem dare. **106** Sed et illa quaestio est, an minor natu maiorem natu adoptare possit, utriusque adoptionis communis est. **107** Illud proprium est eius adoptionis, quae per populum fit, quod is, qui liberos in potestate habet, si se adrogandum dederit, non solum ipse potestati adrogatoris subicitur, sed etiam liberi eius in eiusdem fiunt potestate tanquam nepotes. **108** Nunc de his personis videamus, quae in manu nostra sunt. quod et ipsum ius proprium civium Romanorum est. **109** Sed in potestate quidem et masculi et feminae esse solent; in manum autem feminae tantum conveniunt. **110** Olim itaque tribus modis in manum conveniebant: usu, farreo, coemptione. **111** Usu in manum conveniebat, quae anno continuo nupta perseverabat; quia enim velut annua possessione usucapiebatur, in familiam viri transibat filiaeque locum optinebat. itaque lege XII tabularum cautum est, ut si qua nollet eo modo in manum mariti convenire, ea quotannis trinotio abesset atque eo modo cuiusque anni usum interrumperet. sed hoc totum ius partim legibus sublatum est, partim ipsa desuetudine oblitteratum est. **112** Farreo in manum conveniunt per quoddam genus sacrificii, quod Iovi Farreo fit; in quo farreus panis adhibetur, unde etiam confarreatio dicitur: complura praeterea

huius iuris ordinandi gratia cum certis et sollemnibus verbis praesentibus decem testibus aguntur et fiunt. quod ius etiam nostris temporibus in usu est: nam flamines maiores, id est Diales, Martiales, Quirinales, item reges sacrorum, nisi ex farreatis nati non leguntur: ac ne ipsi quidem sine confarreatione sacerdotium habere possunt. 113 Coemptione vero in manum conveniunt per mancipationem, id est per quandam imaginariam venditionem: nam adhibitis non minus quam V testibus civibus Romanis puberibus, item libripende, emit vir mulierem, cuius in manum convenit.

116 Superest, ut exponamus, quae personae in mancipio sint. 117 Omnes igitur liberorum personae, sive masculini sive feminini sexus, quae in potestate parentis sunt, mancipari ab hoc eodem modo possunt, quo etiam servi mancipari possunt.

119 Est autem mancipatio, ut supra quoque diximus, imaginaria quaedam venditio: quod et ipsum ius proprium civium Romanorum est; eaque res ita agitur: adhibitis non minus quam quinque testibus civibus Romanis puberibus et praeterea alio eiusdem condicionis, qui libram aeneam teneat, qui appellatur libripens, is, qui mancipio accipit, rem tenens ita dicit: HUNC EGO HOMINEM EX IURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO ISQUE MIHI EMPTUS ESTO HOC AERE AENEAQUE LIBRA; deinde aere percutit libram idque aes dat ei, a quo mancipio accipit, quasi pretii loco. 120 Eo modo et serviles et liberae personae mancipantur; animalia quoque, quae mancipi sunt, quo in numero habentur boves, equi, muli, asini; item praedia tam urbana quam rustica, quae et ipsa mancipi sunt, qualia sunt Italica, eodem modo solent mancipari. 121 In eo solo praediorum mancipatio a ceterorum mancipatione differt, quod personae serviles et liberae, item animalia, quae mancipi sunt, nisi in praesentia sint, mancipari non possunt; adeo quidem, ut eum, qui mancipio accipit, adprehendere id ipsum, quod ei mancipio datur, necesse sit; unde etiam mancipatio

dicitur, quia manu res capitur: praedia vero absentia solent mancipari. 122 Ideo autem aes et libra adhibetur, quia olim aereis tantum nummis utebantur; et erant asses, dupundii, semisses, quadrantes, nec ullus aureus vel argenteus nummus in usu erat, sicut ex lege XII tabularum intellegere possumus; eorumque nummorum vis et potestas non in numero erat, sed in pondere; asses librales erant, et dipundii.

142 Transeamus nunc ad aliam divisionem. nam ex his personis, quae neque in potestate neque in manu neque in mancipio sunt, quaedam vel in tutela sunt vel in curatione, quaedam neutro iure tenentur. videamus igitur, quae in tutela, quae in curatione sint: ita enim intellegemus ceteras personas, quae neutro iure tenentur. 143 Ac prius dispiciamus de his, quae in tutela sunt. 144 Permissum est itaque parentibus liberis, quos in potestate sua habent, testamento tutores dare: masculini quidem sexus inpuberibus, feminini vero inpuberibus puberibusque, vel cum nuptiae sint. veteres enim voluerunt feminas, etiamsi perfectae aetatis sint, propter animi levitatem in tutela esse. 145 Itaque si quis filio filiaeque testamento tutorem dederit et ambo ad pubertatem pervenerint, filius quidem desinit habere tutorem, filia vero nihilo minus in tutela permanet: tantum enim ex lege Iulia et Papia Poppaea iure liberorum tutela liberantur feminae, loquimur autem exceptis virginibus Vestalibus, quas etiam veteres in honorem sacerdotii liberas esse voluerunt: itaque etiam lege XII tabularum cautum est.

159 Est autem capitis deminutio prioris status permutatio: eaque tribus modis accidit: nam aut maxima est capitis deminutio aut minor, quam quidam mediam vocant, aut minima. 160 Maxima est capitis deminutio, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit; 161 Minor sive media est capitis deminutio, cum civitas amittitur, libertas retinetur; quod accidit ei, cui aqua et igni interdictum fuerit. 162 Minima est capitis deminutio, cum et civitas et libertas retinetur, sed status homi-

nis commutatur; quod accidit in his, qui adoptantur, item in his, quae coemptionem faciunt, et in his, qui mancipio dantur quique ex mancipatione manumittuntur; adeo quidem, ut quotiens quisque mancipetur aut manumittatur, totiens capite deminuat. 163 Nec solum maioribus capitis deminutionibus ius adgnationis corrumpitur, sed etiam minima; et ideo si ex duobus liberis alterum pater emancipaverit, post obitum eius neuter alteri agnationis iure tutor esse poterit.

Commentarius secundus.

1 Superiore commentario de iure personarum exposuimus; modo videamus de rebus: quae vel in nostro patrimonio sunt vel extra nostrum patrimonium habentur.

2 Summa itaque rerum divisio in duos articulos diducitur: nam aliae sunt divini iuris, aliae humani. 3 Divini iuris sunt veluti res sacrae et religiosae. 4 Sacrae sunt, quae diis superis consecratae sunt; religiosae, quae diis Manibus relictæ sunt. 5 Sed sacrum quidem hoc solum existimatur, quod ex auctoritate populi Romani consecratum est, veluti lege de ea re lata aut senatusconsulto facto. 6 Religiosum vero nostra voluntate facimus mortuum inferentes in locum nostrum, si modo eius mortui funus ad nos pertineat. 7 Sed in provinciali solo placet plerisque solum religiosum non fieri, quia in eo solo dominium populi Romani est vel Caesaris, non autem possessionem tantum et usumfructum habere videmur; utique tamen, etiamsi non sit religiosum, pro religioso habetur: item quod in provinciis non ex auctoritate populi Romani consecratum est, proprie sacrum non est, tamen pro sacro habetur. 8 Sanctae quoque res, velut muri et portae, quodam modo divini iuris sunt. 9 Quod autem divini iuris est, id nullius in bonis est: id vero, quod humani iuris est, plerumque alicuius in bonis est; potest autem et nullius in bonis esse: nam res hereditariae, antequam aliquis heres existat, nullius in bonis sunt . . .

ve domino. 10 Hae autem res, quae humani iuris sunt, aut publicae sunt aut privatae. 11 Quae publicae sunt, nullius videntur in bonis esse; ipsius enim universitatis esse creduntur. privatae sunt, quae singulorum hominum sunt.

12 Quaedam praeterea res corporales sunt, quaedam incorporales. 13 Corporales hae sunt, quae tangi possunt, velut fundus, homo, vestis, aurum, argentum et denique aliae res innumerabiles. 14 Incorporales sunt, quae tangi non possunt, qualia sunt ea, quae in iure consistunt, sicut hereditas, ususfructus, obligationes quoquo modo contractae.

16 At ferae bestiae nec mancipi sunt, velut ursi, leones, item ea animalia, quae ferarum bestiarum numero sunt, velut elephantum et camelum, et ideo ad rem non pertinent, quod haec animalia etiam collo dorsove domari solent; nam ne notitia quidem eorum animalium illo tempore fuit, quo constituebatur quaedam res mancipi esse, quasdam nec mancipi. 17 Sed item fere omnia, quae incorporalia sunt, nec mancipi sunt, exceptis servitutibus praediorum rusticorum; nam eas mancipi esse constat, quamvis sint ex numero rerum incorporalium.

18 Magna autem differentia est inter mancipi res et nec mancipi. 19 Nam res nec mancipi ipsa traditione pleno iure alterius fiunt, si modo corporales sunt et ob id recipiunt traditionem. 20 Itaque si tibi vestem vel aurum vel argentum tradidero sive ex venditionis causa sive ex donationis sive quavis alia ex causa, statim tua fit ea res, si modo ego eius dominus sim. 21 In eadem causa sunt provincialia praedia, quorum alia stipendiaria, alia tributaria vocamus: stipendiaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae populi Romani esse intelliguntur; tributaria sunt ea, quae in his provinciis sunt, quae propriae Caesaris esse creduntur. 22 Mancipi vero res sunt, quae per mancipationem ad alium transferuntur; unde etiam mancipi res sunt dictae. quod autem valet mancipatio, idem valet et in iure cessio. 23 Et mancipatio quidem quemadmodum fiat, superiore commentario tradi-

dimus. 24 In iure cessio autem hoc modo fit: apud magistratum populi Romani velut praetorem urbanum [aut praesides provinciae] is, cui res in iure ceditur, rem tenens ita dicit: HUNC EGO HOMINEM EX IURE QUIRITIUM MEUM ESSE AIO; deinde postquam hic vindicaverit, praetor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet; quo negante aut tacente tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit; idque legis actio vocatur. hoc fieri potest etiam in provinciis apud praesides earum. 25 Plerumque tamen et fere semper mancipationibus utimur: quod enim ipsi per nos praesentibus amicis agere possumus, hoc non est necesse cum maiore difficultate apud praetorem aut apud praesidem provinciae agere.

99. Ac prius de hereditatibus dispiciamus, quarum duplex condicio est: nam vel ex testamento vel ab intestato ad nos pertinent. 100 Et prius est, ut de his dispiciamus, quae nobis ex testamento obveniunt.

101 Testamentorum autem genera initio duo fuerunt: nam aut calatis comitiis testamentum faciebant, quae comitia bis in anno testamentis faciendis destinata erant, aut in procinctu, id est, cum belli causa arma sumebant: procinctus est enim expeditus et armatus exercitus. alterum itaque in pace et in otio faciebant, alterum in proelium exituri. 102 Accessit deinde tertium genus testamenti. quod per aes et libram agitur: qui neque calatis comitiis neque in procinctu testamentum fecerat, is, si subita morte urgebatur, amico familiam suam, id est patrimonium suum, mancipio dabat eumque rogabat, quid cuique post mortem suam dari vellet. quod testamentum dicitur per aes et libram, scilicet quia per mancipationem peragitur. 103 Sed illa quidem duo genera testamentorum in desuetudinem abierunt; hoc vero solum, quod per aes et libram fit, in usu retentum est. sane nunc aliter ordinatur, quam olim solebat; namque olim familiae emptor, id est, qui a testatore familiam accipiebat mancipio, heredis locum optinebat, et ob id ei mandabat testator, quid cuique post mortem suam dari vellet; nunc vero alius heres testamento instituitur, a quo etiam legata relin-

quantur, alius dicis gratia propter veteris iuris imitationem familiae emptor adhibetur. 104 Eaque res ita agitur: qui facit testamentum, adhibitis, sicut in ceteris mancipationibus, V testibus civibus Romanis puberibus et libripende, postquam tabulas testamenti scripserit, mancipat alicui dicis gratia familiam suam; in qua re his verbis familiae emptor utitur: FAMILIAM PECUNIAMQUE TUAM ENDO MANDATELA TUA CUSTODELAQUE MEA ESSE AIO, EAQUE QUO TU IURE TESTAMENTUM FACERE POSSIS SECUNDUM LEGEM PUBLICAM, HOC AERE, et ut quidam adiciunt, AENEAQUE LIBRA, ESTO MIHI EMPTA; deinde aere percutit libram idque aes dat testatori velut pretii loco; deinde testator tabulas testamenti manu tenens ita dicit: HAEC ITA UT IN HIS TABULIS CERISQUE SCRIPTA SUNT, ITA DO ITA LEGO ITA TESTOR, ITAQUE VOS, QUIRITES, TESTIMONIUM MIHI PERHIBETOTE; et hoc dicitur nuncupatio: nuncupare est enim palam nominare, et sane quae testator specialiter in tabulis testamenti scripserit, ea videtur generali sermone nominare atque confirmare.

.....

114 Igitur si quaeramus, an valeat testamentum, inprimis advertere debemus, an is, qui id fecerit, habuerit testamenti factionem: deinde si habuerit, requiremus, an secundum iuris civilis regulam testatus sit, exceptis militibus, quibus propter nimiam inperitiam, ut diximus, quomodo velint vel quomodo possint, permittitur testamentum facere.

115 Non tamen, ut iure civili valeat testamentum, sufficit ea observatio, quam supra exposuimus de familiae venditione et de testibus et de nuncupationibus. 116 Sed ante omnia requirendum est, an institutio heredis sollemni more facta sit; nam aliter facta institutione nihil proficit familiam testatoris ita venire testesque ita adhibere et ita nuncupare testamentum, ut supra diximus. 117 Sollemnis autem institutio haec est: TITIUS HERES ESTO; sed et illa iam conprobata videtur: TITIVM HEREDEM ESSE IUBEO; at illa non est conprobata: TITIVM HEREDEM

ESSE VOLO; sed et illae a plerisque improbatæ sunt:
TITIUM HEREDEM INSTITUO, item: HEREDEM FACIO.

123 Item qui filium in potestate habet, curare debet,
ut eum vel heredem instituat vel nominatim exheredet;
alioquin si eum silentio præterierit, inutiliter testabitur.

127 Sed siquidem filius a patre exheredetur, nominatim
exheredari debet; alioquin non prodest eum exheredari.
nominatim autem exheredari videtur, sive ita exheredetur:
TITIUS FILIUS MEUS EXHERES ESTO, sive ita:
FILIUS MEUS EXHERES ESTO, non adiecto proprio
nomine. 128 Ceteræ vero liberorum personæ vel feminini
sexus vel masculini satis inter ceteros exheredantur, id
est his verbis: CETERI OMNES EXHEREDES SUNTO,
quæ verba statim post institutionem heredum adici
solent. sed hoc ita est iure civili.

185 Sicut autem liberi homines, ita et servi tam nostri
quam alieni heredes scribi possunt. 186 Sed noster servus
simul et liber et heres esse iuberi debet, id est hoc modo:
STICHUS SERVUS MEUS LIBER HERESQUE ESTO,
vel: HERES LIBERQUE ESTO.

ULPIANI REGULÆ.

EXCERPTA.

XIX. De dominiis et acquisitionibus
rerum.

1. Omnes res aut mancipi sunt aut nec mancipi*). Mancipi res sunt prædia in Italico solo, tam rustica, qualis est fundus, quam urbana, qualis domus; item iura prædiorum rusticorum, velut via, iter, actus, aquaeductus; item

*) Vrd. Gai I 120 j. II 16 jj.

servi et quadrupedes, quae dorso colloque domantur, velut boves, muli, equi, asini. Ceterae res nec mancipi sunt. Elefanti et cameli quamvis collo dorsove domentur, nec mancipi sunt, quoniam bestiarum numero sunt.

2. Singularum rerum dominium nobis acquiritur mancipatione, traditione, usucapione, in iure cessione, adjudicatione, lege.

IUSTINIANI INSTITUTIONES.

EXCERPTA.

Liber primus.

I De iustitia et iure.

1 Iustitia est constans et perpetua voluntas ius suum cuique tribuens. Iuris prudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia.

2 His generaliter cognitis et incipientibus nobis exponere iura populi Romani ita maxime videntur posse tradi commodissime, si primo levi ac simplici, post deinde diligentissima atque exactissima interpretatione singula tradantur. alioquin si statim ab initio rudem adhuc et infirmum animum studiosi multitudine ac varietate rerum oneraverimus, duorum alterum aut desertorem studiorum efficiemus aut cum magno labore eius, saepe etiam cum diffidentia, quae plerumque iuvenes avertit, serius ad id perducamus, ad quod leniore via ductus sine magno labore et sine ulla diffidentia maturius perducere potuisset.

3 Iuris praecepta sunt haec honeste vivere, alterum non laedere, suum cuique tribuere. 4 Huius studii duae sunt positiones, publicum et privatum. publicum ius est, quod ad statum rei Romanae spectat, privatum, quod ad singulorum utilitatem pertinet. dicendum est igitur de iure privato, quod est tripartitum. collectum est enim ex naturalibus praeceptis aut gentium aut civilibus.

II De iure naturali et gentium et civili*).

Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit. nam ius istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium, quae in caelo, quae in terra, quae in mari nascuntur. hinc descendit maris atque feminae coniugatio, quam nos matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio et educatio: videmus etenim cetera quoque animalia istius iuris peritia censerī.

3 Constat autem ius nostrum aut ex scripto aut ex non scripto, ut apud Graecos: τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἀγραφοι. Scriptum ius est lex, plebi scita, senatus consulta, principum placita, magistratuum edicta, responsa prudentium. 4 Lex est, quod populus Romanus senatore magistratu interrogante, veluti consule, constituebat. plebi scitum est, quod plebs plebeio magistratu interrogante, veluti tribuno, constituebat. plebs autem a populo eo differt, quo species a genere: nam appellatione populi universi cives significantur connumeratis etiam patriciis et senatoribus: plebis autem appellatione sine patriciis et senatoribus ceteri cives significantur. sed et plebi scita lege Hortensia lata non minus valere quam leges coeperunt. 5 Senatus consultum est, quod senatus iubet atque constituit. nam cum auctus est populus Romanus in eum modum, ut difficile sit in unum eum convocare legis sancienda causa, aequum visum est senatum vice populi consuli. 6 Sed et quod principi placuit, legis habet vigorem, cum lege regia, quae de imperio eius lata est, populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem concessit. quodcumque igitur imperator per epistulam constituit vel cognoscens decrevit vel edicto praecepit, legem esse constat: haec sunt, quae constitutiones appellantur. plane ex his quaedam sunt personales, quae nec ad exemplum trahuntur, quoniam non hoc princeps vult: nam quod alicui ob merita indulsit, vel si cui poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur. aliae autem, cum generales sunt, omnes procul dubio tenent. 7 Praetorum quoque edicta non

*) Vrd. Gai I 2 jj.

modicam iuris optinent auctoritatem. haec etiam ius honorarium solemus appellare, quod qui honores gerunt, id est magistratus, auctoritatem huic iuri dederunt. proponebant et aediles curules edictum de quibusdam casibus, quod edictum iuris honorarii portio est. 8 Responsa prudentium sunt sententiae et opiniones eorum, quibus permissum erat iura condere. nam antiquitus institutum erat, ut essent qui iura publice interpretarentur, quibus a Caesare ius respondendi datum est, qui iuris consulti appellabantur. quorum omnium sententiae et opiniones eam auctoritatem tenent, ut iudici recedere a responso eorum non liceat, ut est constitutum.

V De libertinis.

Libertini sunt, qui ex iusta servitute manumissi sunt. manumissio autem est datio libertatis: nam quamdiu quis in servitute est, manui et potestati suppositus est, et manumissus liberatur potestate. quae res a iure gentium originem sumpsit, utpote cum iure naturali omnes liberi nascerentur nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita: sed posteaquam iure gentium servitus invasit, secutum est beneficium manumissionis, et cum uno communi nomine homines appellaremur, iure gentium tria genera hominum esse coeperunt, liberi et his contrarium servi et tertium genus libertini, qui desierant esse servi. 1 Multis autem modis manumissio procedit: aut enim ex sacris constitutionibus in sacrosanctis ecclesiis aut vindicta aut inter amicos aut per epistulam aut per testamentum aut aliam quamlibet ultimam voluntatem. sed et aliis multis modis libertas servo competere potest, qui tam ex veteribus quam nostris constitutionibus introducti sunt. 2 Servi vero a dominis semper manumitti solent: adeo ut vel in transitu manumittantur, veluti cum praetor aut proconsul aut praeses in balneum vel in theatrum eat.

XVI. De capitis minutione*).

Est autem capitis deminutio prioris status commutatio, eaque tribus modis accidit: nam aut maxima est capitis deminutio aut minor, quam quidam mediam vocant, aut minima. 1 Maxima est capitis deminutio, cum aliquis simul et civitatem et libertatem amittit. quod accidit in his, qui servi poenae efficiuntur atrocitate sententiae, vel liberti ut ingrati circa patronos condemnati, vel qui ad pretium participandum se venundari passi sunt. 2 Minor sive media est capitis deminutio, cum civitas quidem amittitur, libertas vero retinetur. quod accidit ei, cui aqua et igni interdictum fuerit, vel ei, qui in insulam deportatus est. 3 Minima est capitis deminutio, cum et civitas et libertas retinetur, sed status hominis commutatur. quod accidit in his, qui, cum sui iuris fuerunt, coeperunt alieno iuri subiecti esse, vel contra. 4 Servus autem manumissus capite non minuitur, quia nullum caput habuit. 5 Quibus autem dignitas magis quam status permutatur, capite non minuuntur: et ideo senatu motos capite non minui constat.

Liber secundus.

I De rerum divisione*).

Superiore libro de iure personarum exposuimus: modo videamus de rebus. quae vel in nostro patrimonio vel extra nostrum patrimonium habentur. quaedam enim naturali iure communia sunt omnium, quaedam publica, quaedam universitatis, quaedam nullius, pleraque singulorum, quae variis ex causis cuique adquiruntur, sicut ex subiectis apparebit.

1 Et quidem naturali iure communia sunt omnium haec: aer et aqua profluens et mare et per hoc litora

*) Vrd. Gai I 159 jj.

*) Vrd. Gai II 1 jj.

maris. nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur, dum tamen villis et monumentis et aedificiis absteineat, quia non sunt iuris gentium, sicut et mare. 2 Flumina autem omnia et portus publica sunt: ideoque ius piscandi omnibus commune est in portibus fluminibusque. 3 Est autem litus maris, quatenus hibernus fluctus maximus excurrit. 4 Riparum quoque usus publicus est iuris gentium, sicut ipsius fluminis: itaque navem ad eas appellere, funes ex arboribus ibi natis religare, onus aliquid in his reponere cuilibet liberum est, sicuti per ipsum flumen navigare. sed proprietates earum illorum est, quorum praediis haerent: qua de causa arbores quoque in isdem natae eorundem sunt. 5 Litorum quoque usus publicus iuris gentium est, sicut ipsius maris: et ob id quibuslibet liberum est casam ibi imponere, in qua se recipiant, sicut retia siccare et ex mare deducere. proprietates autem eorum potest intellegi nullius esse, sed eiusdem iuris esse, cuius et mare et quae subiacent mari, terra vel harena. 6 Universitatis sunt, non singulorum veluti quae in civitatibus sunt, ut theatra stadia et similia et si qua alia sunt communia civitatum.

7 Nullius autem sunt res sacrae et religiosas et sanctae: quod enim divini iuris est, id nullius in bonis est.

Märkused ja seletused.

Gai Institutiones.

I 4	quamvis fuerit quaesitum	kuigi see varem olnud vaieldav
7	divi — divus	jumaldatud; õnnis
53	saevire	karmilt kohtlema
53	sacratissimi — sacratissimus, a, um	pühitsetuim
53	fana deorum	jumalate templid
53	cogantur — cogere	sundima
100	nusquam	mitte kuski, ei kusagil
103	spadones, — spado, onis, m.	sigitusvõimetu
112	Iovi Farreo — Iuppiter Farreus	farreus, a, um leiva-, vilja-
113 (119)	puberibus — pubes, eris	mehe-ealine, täisealine
120	mulī — mulus	hobueesel, muul
122		kahes kohas tekst katkeb
144	animi levitatem — animi levitas	meele, loomuse ebakindlus
II 3	sacrae — sacer	pühitsetud
3	religiosae — religiosus	püha
4	Manibus — Manes, ium, pl.	surnute vaimud
6	funus, eris, n.	matus, matmine
7	utique	igatahes
8	sanctae — sanctus	puutumatu
9		— tekst katkeb
16	bestiae — bestia	metsloom
16	animalia — animal	elusolend
16	collo dorsove domari	kaelast või seljast taltsutama
24	urbanum [aut praesides provinciae]	puudub mõnes väljaandes
101	in procinctu — procinctus	lahinguvalmis sõjavägi
102	jj. familiam — familia	vara
103	desuetudinem — desuetudo, inis	kohaldamatus, mittekohaldamine
103	j. dicis gratia	näiliselt
104	endo	= in

Ulpiani Regulae.

usucapione — usucapio	iganemine, igamine
adiudicatione — adiudicatio	kohtumõistmine, kohtuotsus

Iustiniani Institutiones

Liber primus

I 2 rudem — rudis	toores, harimatu
I 2 infirmum — infirmus	nõrk, jõuetu
I 2 desertorem — desertor	jooksik, loobuja
II pr. maris — mas	meessoost isik, mees, isane
II 4 species	liik (alljaotuses)
II 4 genere — genus	sugu
II 6 indulsit — indulgeo, -lasi, -ltum 2	andma, lubama, võimaldama
II 6 irrogavit — irrogo 1	määrama
V 1 vindicta, ae, f.	vabastus; kepikeene, millega puudutati vabakslastavat orja
V 2 in transitu, transitus	möödudes, möödumine
V 2 balneum, i, n.	saun
XVI 1 venundari	müüma
XVI 5 dignitas	väärikus
XVI 5 motos — motus, a, um	eemaldatud, välistatud

Liber secundus

I 2 ius piscandi	kalastamisõigus
I 4 funes — funis, is, m.	kõis
I 5 retia — rete, is, n.	kalavõrk, võrk
I 5 siccare	kuivatama
I 6 stadia — stadium	staadion

1. trükk.

Vastutav toimetaja L. Leesment.

Tehniline toimetaja A. Pill.

Ladumisele antud I. XI 46. Trükkimisele antud 27. XII 46. Paberi kaust 56 × 79. 1/16. Trükipoognaid 11/4. Autoripoognaid 0,96. Arvestuspoognaid 0,98. MB 07393. Laotihedus trpg. 37 100. Tiraaž 700. Trüki-koja tellimus nr. 932. Trükikoda „Noor-Eesti“, Tartu, Kastani 38. Hind rbl. 1.50

Выдержки из римского права.

Тексты выбрал Л. Лесмент.

На латинском и эстонском языке.

Эгосиздат „Научная Литература“, Тарту.

Sisukord.

	Lk.
Gai Institutiones. Excerpta	3
Ulpiani Regulae. Excerpta	13
Iustiniani Institutiones. Excerpta	14
Märkused ja seletused	19

ESTICA

Rbl. 1.50

A - 9999

:17752978

TÜ RAAMATUKOGU



1 0300 00370541 7